

stetit : verum reliquis Græcorum in provinciis, Theodori Lascaris præsidio tutum, duravit schisma ; expulsisque a Joanne Duca et Alexio Latinis, iisdem ductoribus rediit in sedes pristinas : donec Michael Palæologus, ex politica etiam Imperii recuperati a Cruciatarum periculo liberandi ratione, tractare cum Pontificibus de unione cœpit, Patriarcha quidem contumaci et repugnante, Episcopis autem plerisque cedentibus, maxime Joanne Vecco, Græcorum doctissimo. Ad negotium tantum penitus conficiendum Gregorius X. indixit, ipseque præsens rexit generale Concilium, ad quod confluxere Cardinales 13, Patriarchæ 2, Archiepiscopi 70, Episcopi 300, Abbates 70, Prælati inferiores 1000 et amplius, una cum Imperatorum et Regum Legatis pluribus, ipsoque Jacobo Aragoniæ Rege, sed post Sess. 2<sup>am</sup>. digresso : vocatus etiam fuerat S. Thomas Aquinas, mortuus tamen in itinere, et S. Bonaventura, itidem defunctus, sed in ipso Concilio, in quo antea Cardinalis et Episcopus Albanensis creatus fuerat. Celebratum vero est Lugduni Galliarum, in Ecclesia Principe S. Joannis, tenuitque a 7 Maii ad 13 Jul. A. 1274.

II. *Sessione 1<sup>a</sup>*. Pontifex habita ad Patres oratione exponit triplicem hujus Concilii finem. Tempore hanc inter et sequentem Sessionem intercepto, decernuntur in sexennium decimæ omnium reddituum Ecclesiasticorum pro subsidio belli Hierosolymitani. *Sess. 2<sup>a</sup>*. Promulgantur constitutiones fidei de processione Spiritus sancti et Primatu Romani Pontificis. Abbates cum inferioribus Prælati dimittuntur a Concilio. *Sess. 3<sup>a</sup>*. Publice edicuntur Constitutiones duodecim ad electionem Episcoporum et ordinationem Clericorum spectantes. Post eam appellunt Græci. *Sess. 4<sup>a</sup>*. Admissi ad Concilium Græcorum Legatis, quorum alii Imperatoris, alii Episcoporum oratores erant, Pontifex rursus causas Synodi exponens, in Græcorum adventu declarat et laudat eorum liberrimam obediendi promptitudinem et a spe ac respectu temporalium exemptam : Legati litteras Imperatoris et Metropolitanorum publice legendas offerunt ; tum suo illorumque nomine schisma ejurant, acceptant professionem Fidei Ecclesiæ Romanæ, agnoscunt Papæ primatum per universam Ecclesiam, jusque appellationis ad sanctam sedem, et addito juramento de obedientia Romano Pontifici debita perpetuo custodienda, unionem integram restaurant. His actis cantatur Hymnus Ambrosianus, symbolum item Fidei primum latine a Latinis, tum græce a Græcis, cum additione *Filioque* ter ab ipsis repetita. *Sess. 5<sup>a</sup>*. Excipiuntur Legati Tartarorum Principis ab eodem missi ad foedus contra Turcas ineundum. Promulgantur quatuordecim reliquæ constitutiones : solemnes exequiæ mortuo post 4<sup>am</sup> Sessionem S. Bonaventuræ persolvuntur. *Sess. 6<sup>a</sup>*. Editis constitutionibus duabus, altera de Religiosis ordinibus, altera quæ interiit, et morum emendationibus aliis curæ ac vigilantie Prælatorum commendatis, Pontifex finem Concilio imponit, Græcosque cum muneribus et litteris dimittit, adjuncto a se Legato, Abbate Cassinensi.

Legationem et Concilium acceptavit græcum Imperium, et habito Concilio omnia acta habuit rata, inserto rursus dyptichis Pontificis nomine cum elogio summi Ecclesiæ Apostolicæ Pontificis et Papæ œcumenici ; exauctorato, qui unus obstabat, Josepho, et Joanne Vecco substituto Patriarcha Constantinopolitano.

III. Constitutio synodica de processione Spiritus sancti sic habet : *Fideli*

*ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat. Hoc professus est hactenus, prædicavit et docuit : hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium et magistra : hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter ac Græcorum incommutabilis et vera sententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi ; nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes, qui negare præsumperint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere ; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio, tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno procedat.*

Professio Fidei de Primatu, a Clemente IV. præscripta et a Michaele Imp. in datis ad Concilium litteris expressa, hujus tenoris : *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet ; quem se ab ipso Domino, in B. Petro Apostolorum Principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter et humiliter recognoscit : et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri : ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare ; et in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potestatem judicium recurri ; et eidem omnes Ecclesiæ subjectæ, ipsarum Prælati obedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesiæ cæteras ad sollicitudinis partem admittit ; quarum multas, et Patriarchales præcipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata prærogativa, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis, semper salva. Et infra : Primatum quoque ejusdem S. R. Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur et recognoscimus, acceptamus et sponte suscipimus.*

CANONUM editorum in hoc Concilio, et Lib. 6. Decretalium illatorum, epitome est sequens : 1. Fides de processione Spiritus sancti. 2. Obtineat decretum Concilii Lateran. III. de electione summi Pontificis : eo mortuo, Cardinales in urbe expectent absentes per decem dies : tum præsentibus convenienter in palatio Pontificis, eodem in conclavi, nullo pariete aut velamine intermedio, in communi habitantes, servitiis restrictis, et commercio cum externis abscisso. Electione intra triduum post congressum non succedente, electoribus in prandio et cœna unum duntaxat detur ferculum : quinque diebus abhinc sine electione absoluta elapsis, deinceps solo pane, vino et aqua sint contenti, donec fiat provisio Ecclesiæ. 3. In electionis impugnatione, omnia opponenda exprimentur in appellationis instrumento, addito juramento ab opponente, credi et probari velle expressa : super iis, quæ non sunt expressa, non audiatur opponens, nisi juraverit, novas probationes postea primum detectas. 4. Electus in administrationem se non ingerat ante confirmationem ; alias jure quæsito sit privatus ipso facto. 5. Electio statim intinetur electo : electus intra mensem consentiat, alioqui privandus ipso.



facto, nisi a superiore licentia electo sit petenda : post consensum si intra tres menses non petat confirmationem, irrita sit electio. 6. Scienter dans suffragium indigno, non privatur jure suffragii, si non subsequatur indigni electio. 7. Peracta electione et consensu præstito, impugnare electionem non liceat, nisi quis juret, defectum primo post innotuisse. 8. Contra electum suffragiis duplo majoribus non valeat impugnatio a minore parte, prætextu zeli, meriti vel auctoritatis minoris in electore; nisi ostendatur votum fuisse nullum ipso jure. 9. Temeraria appellantium audacia et appellationum frequentia sit prohibita. 10. Eligendo objectus defectus examinatur : si non sit verus, puniatur objiciens. 11. Gravans alios propter negatum in electione suffragium, ipso facto sit excommunicatus. 12. Bonorum vel jurium Ecclesiasticorum usurpator ipso facto subjaceat excommunicationi; justus possessor jure non abutatur. 13. Parochus non fiat ante 25<sup>um</sup> ætatis annum, promotione alias irrita : a scientia et moribus sit commendatus. Resideat in Parochia : intra annum fiat Sacerdos; privatus Ecclesia alioquin, nulla etiam monitione præmissa : circa residentiam ad tempus rationabiliter dispensandi facultatem habeat Ordinarius. 14. Parochia non detur in commendam, nisi ætatem et Sacerdotium habenti : nec nisi una uni, non absque rationabili causa, nec ultra sex menses : secus facta sint ipso jure irrita. 15. Scienter ordinans Clericum alienæ Ecclesiæ sit per annum suspensus ab ordinum collatione : hac suspensione notoria, sine illius licentia Clerici a vicino ordinari possint. 16. Bigami careant privilegio Clericali, et foro Laicali sint obnoxii; contraria consuetudine non obstante : sub anathemate non ferant tonsuram aut habitum Clericalem. 17. Canonici non cessent a Divinis, nisi causam cessationis canonicam expriment instrumento authentico; alterutro deficiente fructus non faciant suos. 18. Dignitates vel beneficia curata plura, aut cum dignitate curatum beneficium possidens compellatur ab ordinario ad exhibendam dispensationem : si dispensatio absit, alteri fiat collatio possessi sine dispensatione; si sit dubia, sedes Apostolica consulatur. 19. Advocati et Procuratores Ecclesiastici annis singulis præsentent juramentum de officio rite agendo. 20. Absolutio a censuris, extorta per vim aut metum, est irrita : extorquentes sint excommunicati. 21. Pontifice beneficia in curia Romana vacantia intra mensem non conferente, jus redit ad collatorem ordinarium. 22. Res Ecclesiasticæ a Prælati ne alienentur sine Capituli consensu, et sedis Apostolicæ licentia speciali : alienatio his carens nequidem præscribendi conditione polleat. 23. Non instituatur novus Ordo Religiosus; mendicantium ordines post Conc. Lateran. IV. instituti, necdum confirmati, sint abrogati. 24. Servetur renovata Innocentii V. constitutio circa temperandas expensas in visitatione Ecclesiarum. 25. Omnis profana negotiatio absit ab Ecclesiis. 26. Observetur constitutio Conc. Lateran. III. contra usurarios edita : usurariis habitatio non concedatur. 27. Usurarii careant sepultura Ecclesiastica, licet restitutionem in testamento mandarint, nisi hæc jam re sit facta. 28. Pignoraciones, quas repressalias vulgus dicit, sint illicitæ, si iis unus pro alio gravetur. 29. Excommunicatio in communicantes cum excommunicatis lata non valeat, nisi præcesserit monitio canonica. 30. Relaxationis beneficium ad cautelam in generali interdicto non habeat locum. 31. Subjaceant anathemati gravantes bona vel personas eorum, a quibus vel quorum ope aut consilio sunt excommunicati.

I. Indictum a CLEMENTE V. summo Pontifice hoc Concilium fuit An. 1307, quadruplicem ob causam, quam designavit idem Pontifex in Convocationis diplomate esse negotium *TEMPLARIORUM*, *FIDEM* variis erroribus lacessitam, subsidium *TERRE SANCTÆ*, et restaurationem Ecclesiasticæ *DISCIPLINÆ*. Pro priorum capitum duorum notitia servantur sequentia.

*TEMPLARIORUM* ortum in data Expeditionum sacrarum synopsi An. 1118. adscripsimus. Initia is sumpserat a nobilibus quibusdam Palæstinis, qui pro Peregrinis Hierosolymam confluentibus, a prædonum infestatione per viam tuendis, se devoerant, Rege Hierosolymitano institutum probante, et devotis domicilium prove Salomonis Templum concedente; unde nomenclatio orta est. Crevit brevi illorum numerus et potentia, Fidelibus largiter bona tribuentibus, Ecclesia Religiosæ militiæ honorem addente. Equitum dignitate aucti, magnum sibi magistrum elegerunt, eadem regiminis forma fere constituta, quæ Equitum hodie est Melitensium. Laudabile institutum et optima majorum facta dehonestasse sequentium flagitia ferebantur, quæ fidem superant; cujusmodi referuntur imperata sub ordinis ingressum abnegatio Christi, crucis computatio, propudiosum osculum et idololatriæ cujusdam species; sub reliquam vero vitam permissa libido aversa, cum aliis nefandis numerum undecimum complentibus. Infamia horum scelerum publica cum Equites jam laborarent, agente præsertim Francorum Rege PHILIPPO IV. seu *pulchro*, et jubente CLEMENTE V. institutæ sunt quæstiones per Galliam, Angliam, Italiam, Hispaniam et Germaniam, examen facientibus iudicibus Ecclesiasticis, et Cardinalibus delegatis subin repetentibus : tandemque reos plures, aut confessos aut testium multitudine obrutos, pœna capitalis aut perpetua vindicavit; inter quos et ipse Jacobus Mola, supremus Ordinis magister, cum multis aliis vivus flammis absumptus periit.

Quorum doctrina damnata est in hoc Concilio sunt, Petrus Joannis Olivi, Ord. FF. Minorum Professor, et Beguardi ac Beguinæ; viri illi, hæc feminæ fuerant. Errores eorum omnes hic referre cum ad Conciliorum notitiam non pertineat, in damnationis sententia notatos duntaxat subjicimus. Ex his Olivo debentur tres : nempe Christi adhuc viventis latus perfossum esse lancea, animam rationalem non esse formam corporis; habitus fidei et virtutum parvulis in baptismo haud infundi; Beguardorum autem (quod nomen extra Germaniam Fratricellis etiam, et Segarelli ac Dulcini sectariis commune erat) octo recensentur : 1. Eum ab homine in hac vita comparari posse perfectionis statum, ut impeccabilis evadat, et amplius nequeat proficere; 2. hanc perfectionem assecutum nec jejuna nec orare debere; 3. eundem non amplius subjacere humanæ obedientiæ; 4. posse hominem in præsentis vita beatitudinem consequi ea perfectione, qua eam in futura obtinebit; 5. naturam intellectualem in seipsa naturaliter esse beatam, nec indigam lumine gloriæ elevante ad visionem Dei; 6. exercitium virtutum convenire tantum hominibus imperfectis; 7. actum carnalem, maxime tentati, non esse peccatum, ob naturæ ad illum inclinationem; 8. non decere ut quis elevato Eucharistiæ Sacramento assurgat aut exhibeat reverentiam : adjectis ubique ferme rationibus, inter Quietistarum deinceps principia numerandis.



Episcopi congregati, præter Prælatos inferiores plurimos, communius numerantur trecenti : adfuere etiam Philippus Pulcher, cum Carolo Valesio fratre, et Ludovico, Philippo ac Carolo filiis, ad Regnum Franciæ per vias evectis : Item Eduardus II. Angliæ, et Jacobus II. Aragoniæ Reges : præfuit Clemens V. ipse Concilio, quod habitum est Viennæ Allobrogum, seu in Delphinatu, in Ecclesia Metropolitana : cæpit quadriennio post indictionem, nempe An. 1311. die 16. Octobris : frequentatis, non tam Sessionibus publicis, quam consultationibus privatis, duravit septem menses, absolutum tandem 6. Maii An. 1312.

II. Sess. 1. Pontifex habito sermone Concilii congregati causas exponit. Initio actionum publice facto, deinceps per quinque menses conventibus privatis causa Templariorum discutitur : singularium Equitum quæstiones et examina tum instituuntur, tum instituta retexuntur; *causa ipsius Ordinis discussa, nec defensione impetrata aut concessa*; ideoque nec sententia definitiva pronuntiata. Cum tamen infamarentur Templarii universim, eorumque hinc Ordo factus foret inutilis, decretum fuit per modum provisionis, hunc Ordinem esse abrogandum. Statutum porro de Ordinis quidem bonis, ut Hospitalariis S. Joannis Hierosolymitanis, hodie Equitibus Meliten-sibus ea cederent; exceptis illis, quæ in Castella, Aragonia, Lusitania et Majorica haberentur, ad harum provinciarum tutelam contra Mahometanos impendendis : de personis autem ordinatum ut qui innocentes probarentur, viverent ex bonorum dictionum proventibus; qui crimina confessi forent pœnitentes, exciperentur indulgentius; qui impenitentes, punirentur severe; qui quæstionem subiissent non confessi, servarentur secreti ab aliis, secundum Canones judicandi.

Sess. 2<sup>a</sup>. Promulgatur, confirmata a Concilio, Ordinis Templariorum abolitio, et reliqua de bonis ac personis dispositio. Componitur et finitur penitus, quod PHILIPPUM *pulchrum* inter et BONIFACIUM VIII. olim tenerat, gravissimum dissidium : et Pontifex quidem, contra Philippi accusationem, immunis ab hæresi semperque catholicus declaratur; Regi vero addicitur, acta contra Bonifacium nec ipsi nec filiis ejus aut hæredibus unquam fraudi aut noxæ futura : revocatur denique Bonifacii Bulla : *Clericis Laicos*, de Immunitate Ecclesiæ cum declarationibus; et omnia ad ordinationem Concilii Lateran. reducuntur. Damnantur errores *Petri Joannis, Beguardorum et Beguinarum* supra recensiti : decernitur ut Hæreticus puniendus, qui dixerit usurarum exercitium non esse peccatum. Sequente hanc Sessionem tempore intermedio, expenduntur Durandi Episcopi Mimatensis et alterius anonymi scripta de reformatione disciplinæ.

Sess. 3<sup>a</sup>. Pontifex de ferendo Terræ sanctæ auxilio perorat : Philippus Rex promittit Expeditionis sacræ, quæ tamen non evenit, susceptionem : ad eam Clerus Gallicanus decimas suorum proventuum in sexennium addicit. Confirmatur, designato celebrationis die, instituta jam ab Urbano VI, Corporis Christi festivitas : ordinatur in Universitatibus institutio Magistrorum linguæ Hebraicæ, Arabicæ et Chaldaicæ. Eduntur constitutiones circa Regularium prædicationem et sepulturam hæcenus controversæ : item de eorundem privilegiis; quibus alibi turbatio Prælati, Exempti abusus alibi prohibetur, et Sacramentorum quorundam administratio postremis interdicitur. Exponitur Regula FF. Minorum S. Francisci, variis circa eam, præsertim pau-

peratam strictam, quæstionibus elucidatis : sancitur vitæ ratio Monachorum et Canonicorum Regularium : Hospitalium gubernatio aliaque observanda regulantur etc.

III. Præter constitutiones proxime indicatas referuntur aliæ, quas cum pluribus tam ante, quam post Concilium a Clemente sancitis, Corpori Juris Canonici sub Clementinarum nomine Joannes XXII. inseruit. Canonum horum summaria referre instituti nostri ratio haud sinit : titulos tamen secundum alphabeti ordinem damus. Inscribuntur autem de Ætate qualitate et ordine præficiendorum; Appellationibus; Baptismo et ejus effectu; causa possessionis et proprietatis; Celebratione Missarum et aliis divinis officiis; Censibus, exactionibus et procurationibus; concessione Præbendæ et Ecclesiæ non vacantis; Consanguinitate et affinitate; Decimis, primitiis et oblationibus; Dolo et contumacia; Electione et electi potestate; Exceptionibus; Excessibus Prælatorum; Foro competenti; Hæreticis; Homicidio voluntario et casuali; Immunitate Ecclesiarum; Judæis et Saracenis; Judiciis, Jurejurando; Jure patronatus; Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi; Officio et potestate judicis delegati; Officio judicis ordinarii; Officio Vicarii; Pœnis; Pœnitentiis et remissionibus; Præbendis et dignitatibus; Privilegiis et excessibus privilegiatorum; Probationibus; Procurationibus; Rebus Ecclesiæ non alienandis; Regularibus et transeuntibus ad Religionem; Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ; Reliquiis et veneratione Sanctorum; Renuntiatione; Rerum permutatione; Rescriptis; Restitutione in integrum; Sententia et re judicata; sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti; Sepulturis; Sequestratione possessionum et fructuum; Statu Monachorum vel Canonicorum Regularium; Summa Trinitate et fide Catholica; Supplenda negligentia Prælatorum; Testamentis et ultimis voluntatibus; Testibus; Verborum significatione; Vita et honestate Clericorum; Usuris; ut lite pendente nihil innovetur.

## OECUMENICUM XVI. FLORENTINUM.

I. Unio Orientis cum Occidente causam dederat huic Concilio; occasionem autem variandæ stationis præbuit primum Conventus Basileensis intemperies, locorum deinde incommoditas et sumptuum magnitudo. Orientis nomine non Græcos duntaxat aut cum eorum Ecclesia junctos hic intelligimus, sed et Jacobitas seu Coptos per Syriam et Egyptum diffusos, secta Eutythianos; Chaldaeos per Mesopotamiam cis Euphratem, aliasque Orientis provincias et trans Tigrim usque in Indias distentos, factione (si Maronitas excipis) Nestorianos; Armenos demum mediam quamdam inter Eutythianam et Nestorianam hæresim professos.

Sancita olim Lugduni Græcorum unio cum Latinis diuturna haud fuit, sive Martini IV. Pontificis importuna severitate, sive Græcorum inconstantia aut concepto ex illata Regno noxa odio contra Latinorum Religionem etiam verso : donec tamen vixit Michael Palæologus, pietate Principis stetit integra. Eo sub A. 1283 mortuo, Schisma et errores Andronicus senior rursus civitate donavit, Joanne Vecco et Manuele Calæca, doctissimis veritatis vindicibus in exilium deportatis. Emendare Patris peccatum studuit equidem Andronicus Junior quæsitâ unione : sed negotium hoc Nicephorus Gregoras sua fraude abruptit. Nec amplius quidquam profectum sive sub Joanne Canta-



cuzeno, tutore vel potius usurpatore Imperii, sive sub Joanne illius cliente, licet catholicam fidem A. 1369. Romæ professo; Ottomannis scilicet bello omnia turbantibus, et post ereptam Asiam, in Europa magnam Imperii Græci portionem deprædantibus. His demum ad dandam quietem et agendi otium a Tamerlane ingenti clade coactis, tum Manuel, tum Joannes Palæologi urgere vehementius unionis negotium cœperunt. Priorem, dum dissensio de celebrandi Concilii loco diutius detinet, mors A. 1418. occupat: posteriorem de Basilea jam consentientem mors Martini V. morata est, et secuta Concilii Basileensis scissio ancipitem aliquandiu distraxit. Cum enim utraque pars legatos Constantinopolim misisset, et prævenientibus synodi legatis juncti Imperatori oratores Basileæ advēissent, orta rursus de loco dissensione adhæsere Pontificiis: unde Imperator postea a Legatione altera tum Pontificis tum sanioris partis Concilii in Italiam se deduci est passus. Per vulgata Græcorum profectione sequentibus per vices annis exemplum imitati Armeni primum, tum Jacobitæ, demum Chaldæi et Maronitæ accesserunt, unione ubique constituta.

Qui EUGENIUM IV. Pontificem, Concilium Basilea avocantem, secuti sunt Latini Patres una cum Græcis Præsulibus, haud computatis Abbatibus et Ecclesiarum vel ordinum præpositis, superarunt numerum quadragesimum et centesimum. Congregationibus plerisque præsedidit Pontifex ipse, subin Juliano Cæsarino Cardin. substituto. Concilii statio triplex erat: 1<sup>a</sup>. FERRARIE in Cathedrali Ecclesia aut in templo Palatii: 2<sup>a</sup>. FLORENTIE in Metropolitana: 3<sup>a</sup>. ROMÆ in Basilica Lateranensi. Cœpit autem Conventus FERRARIE quidem die 8 Januarii A. 1438, Florentiæ autem 26 Februarii A. 1439, duravitque post unionem cum Græcis, die 6 Julii anni ejusdem factam, usque ad 26 Aprilis A. 1442; qua die translatus est Romam, ubi A. 1444. et 1445. binis Nationibus adhuc appulsis pax est impertita. A sola tamen Florentia traxit nomen, quod plenior ibidem conventus et negotium præcipuum, unionis scilicet cum Græcis, finem habuerit.

II. Quantumvis continuato numero seriem sessionum simul relaturi, stationi tamen cuilibet suas et proprias distinctis paragraphis reddemus. Huic autem numero non inserimus geminam ante Græcorum adventum diei 8 Februarii annexum, sessionem, utpote adherentibus tantum Basileæ refragatoribus oppositam: nec conventum etiam Græcorum cum Latinis publicum, pluresque de purgatorio privatos; quoniam ille initialem duntaxat novi Concilii epocham ad quatuor menses distulit, hi autem parandæ solum materiæ et cognoscendis opinionibus serviebant. Damus itaque solemniter acta, et quæ ad præcipua discordiæ capita spectant. Eorum autem erant quinque: processio nempe Spiritus sancti, additio particulæ *Filioque* facta symbolo, purgatorium et status animarum ante diem judicii, usus azymorum in Eucharistia et consecrationis formula, auctoritas sanctæ Sedis et primatus Pontificis. Modus de his agendi placuit dialecticus, h. e. adstrictior, propositis utro citroque argumentis et responsis, disputatio. Disputatores delecti sunt ex Græcis quidem Marcus Ephesinus Metropolitā, Isidorus Russiæ et Bessario Nicææ Archiepiscopi, Xanthopulus Siderophas, Michael Balsamon et Georgius Gemistus; ex Latinis vero Julianus Cæsarinus et Nicolaus Albergatus Cardinales, Andreas Rhodius seu Colossensis Archiepiscopus, Joannes Episcopus Foroliviensis, Joannes de monte nigro Ord. Præd. Pefrus

Perquerii Ord. Min. et Joannes de S. Thoma Ord. Erem. S. Augustini. Initium factum die 8 Octobris A. 1438.

FERRARIE Sessio 1<sup>a</sup>. Honoris causa Græcis dato sermonis initio, Bessario orationem habet pro Concilio panegyricam, pro præsidibus honorificam. 2<sup>a</sup>. Andreas sermonem ejusdem Argumenti recitat: modus in disputando servandus decernitur, Græcis opponentium, Latinis defendentium munere delato. 3<sup>a</sup>. Inter Marcum et Andream in certas disputationis leges de asperioribus verbis convenitur: pro disputationis materia designatur additio symbolo facta; utrinque dictis de pacis studio Rom. Ecclesiæ, statuitur de proposito audiendas Conciliorum definitiones. 4<sup>a</sup>. Variis interlocutoribus, quorum rationes primo audiendæ essent disputatur: indicitur hodie conventus privatus: datur Græcis proferre rationes. 5<sup>a</sup>. Marcus post symbolum Nicænum lectum recitari jubet ex Conciliis III, IV, V, VI, VII, decreta quædam et definitiones; tum ex epistolis Cœlestini ad Joan. Antiochenum, Vigili ad Eutychium, Agathonis ad Imperatores, et acclamatione Joannis Patr. Constantinopolitani in Conc. V. eas partes, quibus probare contendit particulam *Filioque* esse additamentum, indeque inseri prohibitam: proferitur sub finem codex antiquus hanc additionem definitioni VII Synodi habens. 6<sup>a</sup>. Laudata a Juliano sed mox ommissa, quam Græci œcumenicam negabant, synodo VIII. dicere orsus Andreas ostendit primo, nullam explicationem seu declarationem dicendam esse additionem proprie talem, vocem autem *Filioque* esse duntaxat explicationem et declarationem alterius *ex Patre*; adeoque vocem *Filioque* non esse additionem: secundo probat, si additamentum esset, fore tantum extrinsecum et litteræ seu declarationis; tale autem non esse prohibitum, sed intrinsecum duntaxat et fidei seu sensus diversi. 7<sup>a</sup>. Præmissis quarumdam cavillationum solutionibus, idem Andreas respondere Græcorum argumentis aggressus, docet primo Concilia et Patres excludere differentiam sensus, non verborum; prohibere mutationem fidei, non declarationem; jubere hæc non de symbolo tantum, sed de decretis etiam et definitionibus symbolo æquivalentibus: secundo Ecclesiam Romanam, ad additionem faciendam, motam esse a dictis Patrum, urgente necessitate, congrua Ecclesiæ auctoritate, non repugnante nec improbante Græcorum dignitate. 8<sup>a</sup>. Bessario impugnat dicta Andree priora, negans primo, explicationem esse intrinsecam; secundo explicationem addi licere post Conc. III. interdictum. 9<sup>a</sup>. Idem ad posteriora progressus, vindicare Patres a se laudatos, et causas pro faciendâ additione allatas refutare conatur: asserit nec Concilio nec Ecclesiæ universali fas esse vel explicationem symbolo addere; quærit utrum statuta Conciliorum et interdicta Patrum, de nullo addendo, spectent ad fidei symbolum, an ad aliud quid extraneum? huic quæstioni reposuisse nihil, sed sermone ad processionem Spiritus S. ex Filio probandam Andream dilapsam, notant Acta græca. 10<sup>a</sup>. Succedens Andree Joannes Ep. Foroliviensis particulam *Filioque* probat primo non esse additionem proprie dictam, sed completi rei evolutionem; secundo addi non esse vetitam, cum non sit appositum contrarium aut diversum, sed conveniens et consonum; tertio interdictum respicere duntaxat apposita priora: posterius autem Ecclesiæ aut legitimæ auctoritati prohibere, Patres nec voluisse, nec potuisse. 11<sup>a</sup>. Julianus ex legis controversæ præambulis, verbis ipsis et sequentibus, ex Symboli Nicæni et Constantinopolitani admissa unitate, ex



Prædicatoriæ et Chalcedonensis synodi diversa circa hanc legem sententia, demonstrat prohibitam fidem alteram intelligi de fide opposita, non de congrua declaratione. Hinc petit, ommissa hac controversia, illud examinari: verumne sit Spiritum S. a Filio procedere; quo negato additionem illicitam, affirmato licitam esse constet. 12<sup>a</sup>. Loquentibus Bessarione et Juliano, disse-ritur de causa interdicti a Conc. Ephesino dati: postremo objicit Julianus, illud jam ante omnem synodum in Scriptura latum, ad quam conditores legis provocarint. 13<sup>a</sup>. Burgundiæ Legati Episcopi, ad Concilium recepti, quum nullam salutationis venerationem dedissent Imperatori, is cum Græcis discedens sessionem solvit. 14<sup>a</sup>. Emendata hac offensa, restauratur disputatio, in qua Julianum nimia sermonis prolixitate respondendi locum non concessisse Bessarioni, solum memorant Græci. 15<sup>a</sup>. Uterque disputator hactenus auditus, geminata oratione longissima, disceptat de tollenda vel retinenda particula memorata. Post sessionem Græci tædio affecti reditum meditantur: Imperatore monente remanent: tandem Latinorum postulatis tribuunt ut examinetur ipsum dogma, sed in conventibus privatis et Ferrariæ: demum ob subsidia a Pontifice pendenda coacti, consentiunt sub certis conditionibus synodum transferri Florentiam. 16<sup>a</sup>. Solemni decreto, pro causa pestem nominante, translatio decernitur.

FLORENTIÆ Sessio 17<sup>a</sup>. Dissertatio ab Imperatore et Juliano habita, circa disputationem de Spiritu S. processione instituendam, et medium unionis inquirendum, versatur. 18<sup>a</sup>. Joannes de monte nigro exorsus de hac materia dicere, præmissis ad significationem verborum quesitis, arguit: a quo Spiritus S. accipit esse, ab eo procedit: dicitur autem Spiritus S. accipere esse a Filio: ergo. Assumptionem ex Epiphania in Aneorato, Basilio Serm. 5. cont. Eunomium, et Athanasio Lib. 4. cont. Arianos probat, intercedente sæpius Bessarione. 19<sup>a</sup>. Idem argumentum versatur a disputatoribus Bessarione et Joanne, qui ex Basilio Lib. 3. cont. Eunom. luculentum testimonium addit. 20<sup>a</sup>. Dissertitur ab iisdem de genuina lectione et sensu textus Basiliani; cujus occasione vindicatur Zosimus a crimine falsi ob laudatum canonem Nicænum de appellatione ad Rom. Pontificem; et additur duplex probatio ex Athanasio. 21<sup>a</sup>. Confirmatur a Joanne cont. Bessarionem triplici argumento sensus Basilii ante agitatus, et nova expositione textus geminus Athanasianus. 22<sup>a</sup>. In oppugnatione primi ex tribus argumentis, compelluntur Græci a Joanne ad silentium: secundi argumenti examini subjungitur, non tamen absolvitur. 23<sup>a</sup>. Frustra postulante Joanne ut ad argumenta Patrum prolata detur responsum, Marcus pro Græcorum dogmate fundamenta profert ex Scriptura, tribus primis Conciliis, Patribusque Dionysio, Gregorio Nazianz. et Nysseno, Cyrillo et Basilio: Joannes ad priora responsionem urget; Latinorum dogma edicit, unam causam Filii et Spiritus S. esse Patrem, nec duas Spiritus S. causas admitti. Græci in privato conventu hæc dicta pro unionis medio admittere statuunt, cum idem asseratur in epist. S. Maximi. 24<sup>a</sup>. Absente Marco ne respondere cogeretur, Joannes fundamenta Græcorum examinaturus, ducto a Scriptura initio, docet Patrem principaliter dici causam Spiritus sancti, quia Filio vim spirativam communicat; causam Spiritus sancti esse unam, quia una est vis spirativa in Patre et Filio: ostendit ex Leone, Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino et aliis Occidentalibus, Spiritum S. procedere per Filium; Tò per autem præpositioni *ex* æquivalere.

25<sup>a</sup>. Eandem in rem idem testimonia evidentiâ profert ex Orientalibus, maxime Basilio, Cyrillo, Didymo, Athanasio et Conc. Nicæno; quorum veritas ex libris inspeetis examinanda in privato conventu addicitur a Græcis.

Abhinc Sessio publica celebrata est nulla, sed Orientalibus seorsim collectis, et interpretibus ultro citroque missis res tractata. Græci autem collata cum libris oratione Joannis, scindebantur duas in partes: altera, quam Bessarario copiosissima oratione et Gregorius Scholarius sermone triplici impulerant, ad unionem spectante; altera, quam unus fere Marcus Ephesinus sustinebat, illam respuente. Priore numero et auctoritate prævalente, institutus per decem viros Græcos et Latinos congressibus, deliberatum est de unionis modo: post ideas varias frustra designatas convenit tandem utraque pars de Spiritu S. Processione in dogmate; ratione additionis autem, eam rite factam a Latinis, a Græcis omitti posse pro libertate: declaratum præterea, hos, dum Patri tribuunt productionem S. Spiritus, ab hac non exclusisse Filium, sed duo tantum negasse principia; a quibus unquam admittendis alienos se fuisse semper, contestabantur Latini. Concordia itaque 8 Junii An. 1439. est decreta, altero mox die, Simeonis ad instar, in pace dimisso et mortuo Patriarcha Constantinopolitano, sub extremam horam scriptis fidem Ecclesiæ Romanæ professo, et pro Patrum Patre ac D. N. J. C. Vicario Papam venerato. Post hæc tractatum de reliquis capitibus supra nominatis, habitisque aliquot congressibus et Latinorum dictionibus, eo negotium feliciter est perductum, ut die 6 Julii promulgaretur unionis decretum, et a Latinis ac Græcis, uno Ephesino excepto, omnibus subscriberetur. Tempore ad professionem usque residuo, quorundam Disciplinæ Græcæ capitum examen est susceptum, satisque factum Latinis, si dissolvendi matrimonia consuetudinem excipias. Voluerat etiam Pontifex contumaciam Ephesini aut flecti aut plecti; aliter visum est Imperatori, negotium ad reditum in Græciam differenti, sed eventu maligno. Marcus enim Clerum et populum schismati inveteratum ibidem faventem nactus, in idem malum plures antea unitos retraxit; quod exemplum pessimum, accedente seditione, Russia quidem postmodum est secuta, sed ulcisci diu haud distulit divina Justitia, sub Imperatoris fratre et successore Constantino An. 1453. expugnata a Turcis Constantinopoli et Imperio Græcorum extincto.

Continuata per subsequens sexennium Synodus, solemnes Sessiones nonnisi quinque Florentiæ, et duas Romæ numeravit. Ex Florentinis 1<sup>a</sup>. hoc anno die 4<sup>a</sup>. Septembris habita Basileenses Eugenium deponere ausos, 3<sup>a</sup>. autem An. altero 23 Martii Amedeum Antipapam, Felicem V. compellatum; tanquam hæresis ac schismatis reos, anathemate percussit. 5<sup>a</sup>. Concilium Florentia Romam transtulit: duæ reliquæ, nec non Romanæ geminæ unionem cum diversis Orientis nationibus sanxerunt. Inter has Armeni per Oratores quatuor, a Patriarcha Constantino et Paulo Imperiali Cassæ Regente litteris munitos, accesserunt primi; et Imperatoris Græci Florentiæ adhuc præsentis opem in unionis negotio ut expetierant, sic liberaliter addictam, consensuque et commendatione probatam senserunt. Quadrimestre disputationibus, instructionibus et consultationibus cum iisdem per duos Cardinales virosque plures sacre doctrinæ peritissimos impendit EUGENIUS; dum de erroribus suis convicti, de fidei Romanæ puritate edocti, de Sacramentorum doctrina rebusque disciplinæ informati, decretum Pontificis sacro approbante Concilio